e-codices

Pernix ſum manibus ſum pedes mobilis. Pal Si albus
Capillus hic uidetur neutiquam ibi ingenium ſenis ineſt.
In hoc emuſitata ſua ſibi ingenua indoles. Ple Pol id quidem
Huius oppido adulеſcentuli. Peri Immo hoſpes magis cum periculum
Experior ita eſſe ut predicas paleſtrio. Nam benignitas quidem
Facies magis noſces meam comitatem merito te amantem.
Ple Quod opus nota noſcere ut quod apud te exemplum experiundi
Habeas ne roges foris. nam qui ipſe amauit egre amantis ingenium
Inſpicit. et ego amatoris aliquantulum habeo. humorisque etiam
In corpore. neque dum exarui ex amoris rebus & uoluptariis.
Vel cauillator facetus uel conuiua commodus item ero.
Neque ego oblocutor ſum alteri in conuiuio.
Incommoditate abſtinere me apud conuiuas commode
Commemini et meę orationis iuſtam partem perſequi
Et meam partem itidem tacere quom aliena eſt oratio.
Minime ſputator ſcreator ſum itidem. minime ſucidus
Post epheſi ſum natus non enim in apulis non ſum in umula umbria
Pal O lepidum ſemiſenem ne ſi quas memorat uirtutes habet.
Atque equidem plane eductum in nutricatu uenerio.
Per Plus dabo quam predicabo ex me uenuſtatis tibi.
Neque ego umquam alienum ſcortum ſubagito in conuiuium.
Neque preripio pulpamentum neque peruorto coppulum.
Neque per uinum umquam ex me exoritur diſcidium in conuiuio.
Si quis ibi eſt odioſus abeo domum ſermonem ſegrego.
Venereum amorem amoenitatemque accubans exerceo.
Et quidem edepol omnis mores ad uenuſtatem iugiter
Cedo tris mihi homines auricalco contra emptum iſtis moribus
Pal At quidem illuc ętatis qui ſit non inuenies alterum
Lepidiorem ad omnis res nec qui amicus amico ſit magis
Per Tu te me ut fateare faciam eſſe adoleſcentem moribus.
Ita apud omnis comparebo tibi res bene factis frequens.
Opus ne erit tibi aduocato triſti iracundo ecce me.
Opus ne leni leniorem dices quam mutum eſt mare.
Liquidus cituſque (ul) ero quam uentus eſt fauonius.
Vel hylariſſimum conuiuam me extimandum exprimam tibi.
Vel primarium paraſitum atque obſonatorem optumum.

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 138, f. f.%20146r – Plautus, Comedies (http://www.e-codices.ch/en/fmb/cb-0138/f.%20146r)